



638

# Parentatio

IN FUNERIS

ILLVSTRIS ET GE-  
NEROSI DOMINI, D. GVILIELMI  
AB OPPERSDORF SENIORIS: LIBERI  
Baronis in Aich, Fridstein, Herzman-  
mestiz & Slaventiz:

QUATVOR AVGVSTISS: J MPP:  
ROM. A CONSILIIS, AC SVPREMI IN S. BOHEMIAE  
Regno Mineralium Praefecti:

QVI ANNO SAL. HVM. M. D. LXXXVIII.  
Actatis verò suæ LXX. prid. Eid. Septembreis

Ex hoc infelici & tumultuoso mundo, multis magnisq; peri-  
culis bello ac pace superatis, laboribus exhaustis, dolorumq; cruciatibus  
solatris pie placideq;

IN COELESTEM PATRIAM  
commigravit.

Autore

SALOMONE FRENZELIO.




# CANDIDO LECTORI

Sat. Frenz. P. L. C. Sal.

222012/1

Σὺν Θεῷ

P Oëtas Homerus εωφρονισάται, Aristoteles Theologos, Deorum Interpretis nominat Plato: quod virtutes in homine laudent expressè, vitia reprehendant liberè. Tales in hac Parentati uncula utrinq; sequutus sum. nam ab initio seculum istud, in quo diem suum illustris Dom: BARO obiit, propriis depingo coloribus. Deinde, in percensendis ejusdem fortiss: Senis laudibus, nihil agor præter rem & meritum: eo in primis fine, ut luculentum aliis consequandæ Virtutis exemplum præformetur. In reprehendendo igitur παρρησίαν Theologicam, hoc est, Libertatem verè Poeticam, in laudando Candorem Homericum usurpo. nihil hic virulentum, nihil aculeatum: sed res ipsa nihil Sycophanticum, nihil assentatorium: sed Panegyrica descriptio, ipsa etiam dignitate, atq; existimatione optimi & venerandi Senis inferior. Quamobrem, humanissime Lector, abstine, ut neq; ex reprehensione, neq; laudatione nostrá quicquam in te transferas, nisi quod vel pravitas, vel Virtus tibi vendicat. Vale. Pragæ inter complures occupationes VIII. Eid. Octobrium, Anno ultimæ patientiæ supra miles quingentes: octogesimo octavo.



ILLVSTRIS ET  
GENEROSSI SIMI BARO-  
NIS, DOMINI GUILIELMI AB  
Oppersdorf Senioris, &c.

**H**Oc ipsum, hoc igitur prò formidabile seclum  
Fatidicæ postrema Feræ pars pessima planta est.  
Quicquid funestum, quicquid miserabile nostri  
Præcinuere Patres, quicquid Deus Ipse minatus,  
Id cadit in seclum hoc, & in unam confluit atram  
Colluviem. ipsa fidem faciunt Elementa, ruinæ  
Res hominum vicinæ omnes testantur id unum.  
Nam Solis quoties impalluit hactenus orbis  
Ad scelus humanum? quoties pulla induit ora  
Impatiens Phæbe? quoties ah anxius æther  
Armorum simulacra, pharetratasq; phalanges  
Exhibuit, flamas eructavitq; sinistro  
Omine? præcipites undæ per rura, per agros  
Quam non s̄epe hominum stragē pecudumq; dederunt?  
Quas de succiduā faciam tellure querelas?  
Non ea vis plantis, non arboribusq; superstata,  
Quæ quondam generosa fuit: docet exitus ingens.  
Omnia decrescunt: languescit in omnibus altrix  
Natura, intentans Ipsi sibi deniq; mortem.

Sed quid ad hæc homines? oculorum munere gau-  
Vestigant oculis tantum, quantū obruta Talpa. (dent:  
Aptavit capiti rerum Pater optimus aures,  
Auribus utuntur nunquam. quid? quò magis æther  
Horrida producit, cladesq; minantia signa,  
Quò natura parens dat flebiliora dolendi  
Argumenta, cietq; diem per fata supremam:  
Tantò inter miseros Mortales crebrior usus  
Peccandi, tantò cujusq; licentia major  
Ad genus omne mali: liceat mihi vera fateri:  
Quis nunc Iusticiæ locus est regalibus aulis?  
Angulus á tergo. quá parte Calumnia mordax  
Ponitur? hæc latè incedit penetralibus imis.  
Quis locus est Musis? heu nequaquam amplius aula?  
Aula voluptatum Sentina est facta; Sororum  
Caula Novenarum sedes: pomposior istic  
Splendor: at hic levior fors est, obscurior umbra.  
Nulla fides constans est amplius inter Amicos:  
Qui didicit dare verba, animum simulare, ciere  
Rifus, ad placitum blandam componere frontem,  
Ex uno frigus, simul exhalare calorem  
Ore, superciliis alios contemnere longis,  
Tollere præsentes ad sidera laudibus amplis,  
Absentium famam dictis lacerare protervis,  
Per fas, perq; nefas argenti auriq; talenta

Coge-

Cogere, & insano totum se dedere mundo,  
Hic vir, hic est, dico quem monstrant eminus omnes,  
Hunc fortuna tumens Ipsa admiratur, & ultro  
Evehit: ast inopem contra defendere vitam.  
Cogitur, his studiis qui non ad suescere novit.

Non amor antiquus conglutinat amplius uno  
Fœdere corda hominum: si quæ commercia habentur,  
"Frigida sunt, & plena doli: nec mutuus ille  
"( Horresco referens) consanguinitate propinquus:  
"Amplius ardor inest: quin hoc insania seculo  
"In tantam crevit rabiem, & deliria tanta,  
"Sit minus ut nusquam veræ integritatis, amoris,  
"Consilii, fidei, auxilii, candoris, & æquis;  
"Plus odii, Invidiæ, rixarum, fraudis, & omnis  
"Perfidiae occultæ, quam primos inter amicos,  
"Quorum affine genus se sanguine scindit ab uno.  
"Quid? quod cōventum est, pater ut è semine natum  
"Sæpe suo, Natus Patrem, Generum Socer (ô res  
"Fœda!) Gener Socerum, tum frater deniq; fratrem  
"Turpiter auxilii sub mole relinquit egentem,  
"Insuper insultu exagitat, probrisq; lacepsit,  
"Atq; adeo attonitum rostris ad ferrea jura  
"Insanumq; forum trahit, & tabularia vulgi.

Si porrò excutiā mundi furiale theatrum,  
Quid memorem? nihil hic laudabile; plena periclis

Omnia, plena malis : pudor exsulat, exsulat omnis  
Hinc probitas : nemo est, tacita qui mente revolvat  
Hæc ad supremam currentia tempora metam.

He nimium SECVR A QVIES discrimina rebus  
Publica privatis postponit, sacra , profana  
Deridet, cælum nugas, Acherontaq; censet:  
Indulget genio venturæ nescia vitæ,  
Inq; diem vivit nummorum prodiga, luxu  
Inflammata, alia ex aliis convivia lauto  
Instruit ornatu, Mensaq;, hominesq;, Deumq;  
Centenis onerat dapibus : mox crapula ventrem  
Inquinat : Ebrietas linguam, mentemq; fatigat.  
Cordatus nec enim vir creditur esse, nec ausis  
Magnanimis aptus, qui non crateras ahenos  
Impiger exhaustur: sed qui spumantia multo  
Proluit ora mero , dein turpiter evomit haustum,  
A vomituq; redit studia ad graviora capaces  
Siccandi pateras, Vir strenuus ille putatur,  
Ille reportat ovans laudem, & memorabile nomen,  
Vtq; hæc potandi rabiosa libido patentem  
Invitet sine fine gulam, viresq; ministret,  
Pocula diversis excogitat impia formis,  
Vt liquor innocuus, Superum inviolabile donum,  
Vel Turcæ, immanisve Scythæ, vel pellicis auro  
Effictæ è gremio, vel turpi clune ferarum  
Effluat impurum in guttur, ventremq; supinum.

Texitur hinc scelerum longissima tela: loquelas  
Exspuit obscoenas turba Ebria, tumq; lepore  
Facundo reliquos longè supereminet ille,  
Cui par Spurcitie nemo est, salibusq; nefandis.  
Nec Comes Ebrietatis abest Venus anxia, cæco  
Concubitu indulgens, & nocti furta ministrans.  
Parte aliâ madidos agitat discordia Fratres,  
Iurgiaq; in medium subitò jacit, arma furori,  
Qui non contentus verbis ad verbera sese  
Agglomerat, cædes spirat, jugulisq; cruentem  
Dimittit, subitoq; absimit corpora letho,  
Præcipitatq; animas, & funere mergit acerbo.

Quid multis? secura DEI gens omnis, in ausum  
Nil sinit: heu scelerum furiis accendimur omnes!

Ergo exercemur pœnis, quas jure reposcit  
Omnipotens Genitor fandi memor, atq; nefandi.  
Hoc Safan indulgente diu constrictus habenas  
Excudit, & totum fertur furiosus in orbem:  
Non secus esuriens Leo quam per ovilia sævit  
Iratâ stimulante fame, manditq; trahitq;  
Molle pecus: sic ille fremens, incensus, & audax  
Perfurit, lac omnem nullo discrimine Gentem,  
Regesq; populosq; subit, nil tale timentes,  
Securos animi, luxu vinoq; sepultos.  
Hinc tot inauditi casus, penitusq; stupendi:

Hinc

Hinc tot per cunctas serpunt contagia terras  
Dira, novæq; lues, tot lethiferi haetenus anni.  
Hinc gravis annonæ, rerumq; injuria passim  
Mortales vexat cæcos, incommoda prænsant  
Infinita: dolor, labor undiq;, moeror, & horror.

Ipsa etiam cæli facies effundit habenas  
Irarum, atq; odii, tempestatesq; ministrat  
Arboribusq; Satisq; graves, incendia tectis  
Suscitat, inducit Torrentes mollibus arvis.  
Terraq; ponderibus jam dudum fessa gerendis  
Prorsus inutilibus facit intra viscera motus,  
Mugit & horrendum, dans signa nocentia planctus.

Hinc per contiguos plusquam civilia campos  
Bella manus miscent: quocunq; trementia vertas  
Lumina, desævit toto Mars efferus orbe,  
Committens ruptis inter se legibus Vrbes,  
"Vndiq; ut illorum pingueſcant sanguine campi,  
"A Christo quibus una ſalus, quibus unaq; vita eſt,  
"It nomen commune: ruunt in prælia, & ul tro  
"Vulneribus ſeſe perimunt morientia membra  
"Corporis ejusdem: ſternuntur moenia, flammæ  
In cineres vertunt altaria, templæ, ſcholasq;  
Nulla sepulcrorum reverentia; nulla ſepultum,  
Nulla puellaris ſexus: ante ora Parentum  
Filia vim patitur, & virginitatis honorem

Sanguineos inter fluctus, tremulumq; tubarum  
Clangorem, luce in mediā, cæloq; sub alto  
Turpiter amittit: Mater, non jam amplius eheu  
Mater, ad exanimis Natæ latus, atq; Mariti,  
Fœmineos inter planctus, tristesq; ululatus  
Fœdatur stupris, soboles dum innoxia cunis  
Ne quicquam emitit vagitus, atq; tenellam  
Exspuit hastā animam multo cum sanguine, & ipsum  
Provocat ad lacrimas pictum quasi sanguine cœlum.  
Et quid continuem reliquas ex ordine clades,  
Supplicia, ærumnas, motus, discrimina, casus?  
Omnia plena malis: summa imis, imaq; summis  
Miscentur: STATVS hic præsentis pessimus ævi est,  
Hæc sors, hæc facies, hoc lamentabile fatum.

Iam dic, munde, mihi quis in hoc felicior ævo?  
Ille, qui supereft, extremaq; in omnia vitam  
Intrat, & his ipsis sensim consumitur annis?  
An quem summa dies exortem temporis aufert,  
Et qui Celicolis, totiq; renunciat orbi?

Quem curæ attenuant acres, labor improbus urget  
Noctes atq; dies, quem fæva pericula denso  
Agmine circumstant, an natum hunc sidere dicam  
Felici? placidam qui curæ nescius omnis  
Exigit ætatem, natum ne hunc sidere dicam  
Infausto? ah Vita hæc non Vita est amplius, est mors

Exitium spirans, avidumq; è naribus ignem.  
Vita hæc est pulcrum NIHIL, est ærumnæ superba,  
Splendida de vivis Majestas exsequiarum;  
Est longum funus, moriens est Vita, nihilq;  
Est aliud, quām vana, levis, brevis, impia pompa.  
Ast ubi cælicolum sedes, & amœna piorum  
Conilia, æterniq; datur Patris ora tueri,  
Illiñc læta quies, & jucundissima Vitæ  
Conditio: nulla ærumnæ, nec mortis Imago.

O vos felices animæ, quæis contigit auras  
Tendere in æthereas, & consuetudine Divum  
Post tot fata frui, post tot discrimina rerum!

Et tu, fôrtunate senex, das libera mentis  
Gaudia compositæ meritó, das pectore gestus,  
Das alacres lingua plausus Guilhelme, quod ævi  
Te saturum eripuit divina potentia terris,  
Hoc seculo: horrisonis quo cuncta tumultibus ardent,  
Ereptumq; senem regni meliore locavit  
Parte, ubi læticia seges est amplissima summæ!

Mors nulli metuenda pio: nam tristia lætis,  
Magnis parva, bonis mala, dulcibus acria, fluxa  
Aeternis permutat: eunt hoc ordine fata.  
Discite Mortales igitur confidere Christo,  
Dumq; licet, dum fata sinunt, convertite mentes  
In melius: nunc nunc obtusa, ferocia, dura

Ponere

Ponere corda juvet: mora pernicioſa paratis.  
Porta patet cæli, patet & graveolentis Averni:  
Angusta est cæli via: sed latissimus orci  
Accessus: videat quisquis, ne devius ipsum  
(Nam nunquam revocare gradum licet) auferat Error.  
Flectite ad obsequium rationis facta, veternumq;  
Excutite, & cæcos expandite luminis Orbis,  
Et planum pietatis iter calcate. quis orbe  
Vivit in immenso, quem non arresta Cupido  
Exstimum let laudum? sed quænam gloria major,  
Quam virtute genus, famamq; extendere factis.  
Hoc opus, hie labor est; paucis hæc gloria cordi,  
Ac nisi Diis genitis, quos impetus incitat acer  
Naturæ, atq; ardens accedit ad ardua Virtus.

Qualis erat verè (testor scrutanzia pectus  
Numina) Guilhelmus cano aspectabilis ore  
Et gravitate Senex, quem nunc abscondimus intra  
Telluris gremium, non vitâ, lumine cassum.

Quem Gens Teutonicis latet Oppersdorffia terris,  
Sola cui virtus magnum & memorabile nomen,  
Non primùm fortuna dedit? quæ gestat honorum  
Ornamenta, gradus, titulos, Insignia, census,  
Non illa argento gelido mercata, nec auro est;  
Sed probitate, fide, studiisq; asperrima belli.  
"Nam quæ tercentis primordia ducit ab annis,

”Heroasq; suos non falso nomine jactat,  
Illa minus vigili cura studioq; Nepotum,  
(Seu fato, seu forte gravi) depressa, parumq;  
Obscurata (velut fluitans terit omnia tempus)  
Restituit dextrā bellaci, & fortibus ausis,  
Rursus & ē tenebris in lucem eduxit apricam,  
Cæsar is indultū magni, arbitrioq; benigno,  
Ille Vir, ille potens animi Oppersdorfius, Ille.  
**I A N V S** Achilleo metuendus pectorē Turcis,  
Auspiciis cuius Gens Oppersdoria honorum  
Ornamenta, gradus, titulos, Insignia, census  
Auxit, & in tenebras oblivia prisca redegit.

Tum verò egregiis accensus ad omnia factis  
Ardua Germani Fratris **GVLHELMVS**, avitæ  
Haud quaquam oblitus laudis, communia jure  
Esse sibi fraterna putans præconia, pectus  
Magnanimum erexit, Gentemq; decusq; suorum  
Non minus ac frater, digno illustravit honore.  
Nam postquam ætatis progressu excessit Ephæbis,  
Noluit in patria currens inglorius ævum  
Exigere: ergo statim studia ad graviora laborum  
Sublimem applicuit mentem, moresq; venustos.  
Ac velut ē nitido scintillat nobilis auro  
Gemma: virescentis primo sic flore juventæ  
E nostri eluxit Guilielmi pectore fortis.

Vis

Vis generosa animi, quam confirmavit, & auxit  
Mira gerendarum, non multo tempore, rerum  
Dexteritas, quæ tanta fuit, Romanus ut ipsum  
Vix anhum ingressum quatuor post lustra secundum,  
**CAROLVS** ille potens Cæsar, de nomine **Quintus**,  
Austriacæ lux clara Domus adsciverit inter  
Conspicuos Proceres, quorum alta negocia certæ  
Commisit fidei, quosq; ipse affecit honore.  
Omnem adeo ætatem virtute **Guilhelmus** herili  
"Strenuus anteiiit. nimirum tegmine nescit  
"Sub quo vis latitare diu, laudabile quicquid,  
"Quicquid sublime est, & ab omni fece remotum.

Mox verò in tantum spe sustulit ille **Nepotes**,  
Et superavit ovans, paucis currentibus annis,  
Quicquid de Iuvene arguta exspectaverat Aula.  
Bellaci nec enim **CARLO** tantum æqua probavit  
Obsequia: Ipse etiā **FERDinandVS**, & alter ab illo  
Maximus **AEmilius**, quiq; huc gerit usq; **RODOLPHVS**  
Imperi fasces ( quem Di superesse velitis )  
Fida ministeria experti sunt hujus ab annis  
Quadraginta octo: quibus usq; ad sidera notis  
Cæsaribus quatuor, non tantum tempore pacis  
Devinctus fuit officiis: sed classica flavit  
Mars quoties, patriis acer Germanus in armis  
Pro Domino Ipse suo caput objectare periclis

Et ferrum capere, & dubiæ se credere pugnæ,  
Viq; reluctantem detrudere finibus hostem  
Non metuit: pro quā pietate perennia laudum  
Dona reportavit vīctor, Generiq; Sibiq; 10.  
Aeternum peperit tanto conamine nomen.

Pōst ubi vītrices compostā pace vicissim  
Conticuere tubæ; sacra iussa capessere divi  
Cæsaris aggressus, magnum & Bojemidos Oræ  
Munus, amans fidei, patiens operum, æquus in omnes,  
Quascunq; imposuit solers vigilantia partes  
Sustinuit, nullis parcens conatibus unquam,  
Nec sibi; dum tantūm crescentis commoda Regni  
Provehheret: non ille suos sectatus honores,  
Privatumq; lucrum: Testis mens conscienti.  
Nil attentavit, tibi quod Boemia fraudi  
Eset, & exitio: cepit cum Cæsar eundem  
Consiliis Socium, sub acutum cuncta vocavit  
Iudicium, longo pensans examine finem,  
Nec nisi prefectura dedit suffragia rebus:  
Deniq; cuncta fide summā, studioq; peregit,  
Non grandi se fasce levans, & mole laborum  
Ante, fatigatum quām languida viribus ætas  
Omnibus exhausit corpus, curisq; peredit.

Sed neq; priuatis deerat solertia rebus.  
Ille domum rexit sapienter, & ordine: nullos

Pro-

Profudit sumtus, & sic, quia parcere parto  
Noverat assuetus modicis, collegit honesto  
Nomine divitias, hæres quibus vnicus uti  
Posset honorifice, nomenq; decusq; tueri,  
Hunc Natum patrio gaudentem nomine castris  
Solicite Aonidum primis adduxit in annis,  
Atq; omnem impendit curam (ô pia pectora Patrum!)  
Disceret ut doctis Soboles parere Magistris,  
Et disciplinam viridi tolerare sub ævo,  
Excolere Ingenium, virtuti adsuescere, mores  
Castigare novos, ac fundamenta decentis  
Heroem vitæ ad Rationis ponere normam.  
Et bene successit fidi piacura Parentis.

O placidam verò, suavemq; per omnia vitam,  
Contrivit quam lustra novem, Trieteride juncta,  
Conjuge cum dulci, velut cum Turture turtur,  
Conjuge, quæ vitæ Socium nunc luget ademptum,  
Conjuge, foeminei quæ vix est gloria sexus,  
Lux Matronarum, speculum Pietatis, & Instar!

Iamq; ubi dimensum Pater Oppersdorfius ævum  
Attigerat, fragilis non emansere senectæ  
Lethiferi Comites: tremuere senilia morbo  
Membra nimis duro: crudelis ad ima volutus  
Ossa dolor magis exarsit, querulumq; GVLHELMVM  
Affixit penitus lecto, affixumq; subinde

Tor-

Torminibus pupugit, punctumq; subegit acutis:  
Qualis, ubi Autumno sensim elabente teorem  
Afflat hiems vicina, comis est forma colorq;  
Arboreis: etenim jam tunc flavesce passim  
Incipiunt folia, & leviter motantibus Euri  
Flatibus arentem paulatim abscondere terram:  
Rura gelu tandem quæ claudit Bruma rigenti  
Frondibus exutis & amictu protinus omni  
Arboribus liquidas cano sub cortice vires  
Detrahit, humorem sistit, reliquumq; vigorem:  
Sic quasi tristis hiems ætatis iniqua Senectus  
Fessum exsiccavit GVLIELMI corpus, & omnes  
Exhausit vires. nihil hic valuere potentes,  
Quas ingressus erat, thermæ, nihil ipse MACHAON.

Ergo ubi jam fatis cedendum sensit, inanes  
Despiciens mundi illecebras, lucemq; perosus,  
Convertit cupidam Superum ad confortia mentem,  
Firmavitq; fidem sacrato Pignore, nobis  
Quod Christus quondam moriturus in orbe reliquit,  
Quo non est aliud cælo præstantius alto.  
Tum fervens animi, sucessuq; acrior ipso,  
Nil mortale putans, nil amplius esse caducum,  
Verba Dei Flatu plenissima concipit Heros,  
Et circumstantum permulcet pectora dictis.  
VRSVLA semianimis luctu, moestissima Conjux,  
Fatalem

Fatalem ad thalamum, jam jam amissura Maritum,  
Delicias, columenq; suum, sua gaudia, guttis  
Grandibus humectat vultus, & brachia tendit.  
Hanc ardens pietate senex lenire dolentem  
Solando cupit, & dictis affatur amicis:  
Quid mea mens, mea Lux, fletus effundis inanes?  
Corpora disjungi semel hic conjuncta necesse est:  
"Vixi, & quem dederat cursum Natura peregi.  
Nunc aliò me fata vocant, ubi lætior Aula  
Postmodò nos junget, junctosq; fovebit in ævum:  
Anteo: tu nostra brevi vestigia carpes.

Vix hæc fatus erat, quim Filius Vrbe relictá,  
Quæ Bojemorum caput est, allabitur altum  
Corde premens gemitum, verbis quem talibus ultró  
Compellat Genitor: venisti deniq; Fili  
Exoptate diu? salve æternumq; valeto:  
Nam pōstrema dies hæc est, quā jungimur ambo  
Valle sub hac foetá lacrimis, plenaq; dolorum.  
Quæ facienda tibi, quæ sunt fugienda, Guilhēlme,  
Cuncta per ætatem assequeris: cape singula paucis  
"Hortamenta igitur: tibi sit reverentia curæ  
"Prima DEI, vitam qui contulit, altera Matri.  
"Et quia fallacis te nunc injuria caussæ  
Abstrahit invitum morientis ab ore parentis,  
Salve iterum atq; iterum Nata, æternumq; valeto:

C

Nunc

Quem si luminibus non hac tellure tueri  
Hisce meis dabitur posthac : tamen aurea cæli  
Regia stellantis nos exhilarare perenni  
Conspictu poterit. contra est sic Filius orsus:  
Fas omne est parere tuis, Pater optime, dictis:  
Plura loqui prohibent lacrimæ, prohibentq; profundi  
Singultus: PATER ò salve, æternumq; valeto,  
Dixit, & ingenti se cum mœrore Guilhelmus  
Guilhelmo avulsit: quòd inevitabile quiddam  
"Diseßsum urgeret. Sed vñ tibi, quisquis amores  
Rupisti sanctos, desideriumq; duorum.

Interea exactis aliquot suprema diebus  
Lux oritur, prima ante Eidus Septembribus ; eamq;  
Fatalē advertit Pater Oppersdorfius : ergo  
Ad cælum cum voce manus, cum pectore vocem  
Tollit ovans animi, dicitq; novissima verba :  
NATE DEI, Deus ipse hominum Servator & Autor,  
Ecce mei tandem jam terminus imminet ævi,  
Quem sæpe optavi, quem tota mente petivi.  
Tu modò, Christe, tuā quem morte à morte perenni  
Vltus es, affer opem lapso, nec desere fratrem  
IESV Christe tuum: miserere precantis, & omnes  
Contege peccati maculas: delicta patravi  
Multæ(fatebor enim) piget, æternumq; pigebit:  
In te spes veniæ fixa est, & caussa salutis:

Hoc

Hoc Satanæ contra furias solamine nitor:  
Sed contra insultus mundi MENS conscientia recti  
Me plausus jactare jubet. mihi munera divi  
Induperatores tot jam labentibus annis  
Commisere sua, & dives Bojemia rerum  
Credidit aurifluis inclusa metalla fodinis:  
"Intulit at nulli tacitum mea Functio damnum:  
"Non mala per fraudum didici compendia lucro  
"Fortunas augere meas: tua Numina testor,  
Ingenuamq; fidem, toto quam tempore vitæ  
Religione Patrum colui: quo nomine terris  
Lætiūs excedam moriens, & fronte serenā  
Ante tuum, IESV, prodibo deinde Tribunal  
Iamq; coactanti cupio hoc ē carcere mundi  
Protinus exfolvi, tecumq; ante ora Parentis  
Exigere æternos cælo feliciter annos.  
Ergo tibi luctantem animam commendo, Redemptor  
O dulcis Iesu, facili tu suscipe dextra.  
Reddo tibi pignus, quod tu mihi molle dedisti,  
Reddo animam, reddo corpus, reddo omnia Christe.  
Sic ait, ac leni media inter verba susurro  
Deposuit letho caput, & grave finit ævum,  
Postquam lustra decem, & bis denos insuper annos  
Spinosum per iter magno superasset honore.

C ij Nunc

Nunc exanthlatis ter mille laboribus aureum  
Exspectat seclum, sub opaca sede quietis,  
Egregius fortisq; senex, quem Musa sat æquis  
Exornare nequit mea laudibus: attigit illas,  
Non verò evolvit. quid enim lucem addere luci,  
Quid juvat immensos frustra attentare labores?  
An non sese ipsum superat, majorq; Vir omni est  
Laude, nihil fecit qui non laudabile, pura  
Qui coluit pietate Deum, rebusq; gerendis  
Sedulus incubuit: cuius feliciter usus  
Consilijs Capita Imperii: quem dexterab esto  
Reddidit insignem: quem Pax tranquilla Ministrum  
Iactat honoratum: qui nulli incommoda fecit,  
Commoda, cui potuit: qui, si voluisse, honorum  
Celsius ad culmen potuisse scandere divi  
Cæsar is arbitrio: totam qui deniq; vitam  
Virtutum excoluit studiis, clausitq; beatam  
Morte, Vir ingenuus, constans, gravis, æquus, acutus,  
Sobrius, humanus, spectabilis, integer, acris,  
Impavidus, bellax, generosus, & optimus Heros:  
Lux Patriæ, Generis Columen, spes, gloria: Regum  
Cura Ducumq; Decus Procerum, Virtutis Asylum?  
Salve sancte senex, salvete beata Guilhelmi  
Ossa, quibus sæuos Mors sustulit una dolores.  
Q te felicem, Guilielme, faventia rebus

Quem

Quem fata humanis hoc eripuere sub ævo,  
Quo nullum mundus tulit exitialius unquam!  
O fortunatum qui non prius astra petentem  
Exspirasti animam, quam post Mavortia Natum  
Tamenta domum redeuntem, ac fortibus ausis  
Insignem, & tua jam vestigia clara sequutum  
Guilhelmum aspiceres lacrimis circum ora volutis!

Salve iterum atq; iterū, Pater ô faustissime, quē fors  
Fert longè à nostri diversa furoribus ævi.  
Nunc tibi lite carens habitatur Curia cæli:  
Nos fovet horrendis tellus circumdata monstros,  
Tu petis ætherii fastigia libera templi:  
Claudimur immundi duro nos carcere mundi.  
Tu cum cælicolis agitas consortia, & ipso  
Numine: res nobis & consuetudo dolosa est  
Cum Genere infido. tu libertate potiris:  
Servitio assuimus nos colla obnoxia vinclis.  
Mens tua felici nunc est contenta quiete:  
Nos ærumnarum moles operosa fatigat.  
Parta tibi pax est: nobis bella horrida bella  
Oppida, rura, agros, vi, flammis, sanguine, stupris  
Perfoëdant: tibi nulla fames toleranda, sitisve:  
Nos ventris rabies agitat. tu gaudia gaudes  
Maxima: continuis sed nos ploratibus horas  
Fallimus, & planctu. tu risus fundis amoenos:

Nos lacrimas. tu non te crimine polluis ullo:  
Nos mentem explemus furiis, & atrocibus orsis.  
Te nullus gelidâ torquet formidine torpor:  
Nos quemvis strepitum horremus, pavor ilia pulsat.  
Parcarum metuenda tibi non amplius ira;  
Præsentem nobis intentant omnia mortem.  
Mansuras meliora domos tibi fata dederunt,  
Et Patriam, Gulielme, novam, sedesq; beatas:  
Triste per anfractus nobis, & tenua terendum est  
Exilium, & restat magnum maris æquor arandum.

## Hexastichon Ejusdem

*MUSICIS NUMERIS APTATVM  
à JACOBO HANDL, Musico Clarissimo.*

O Miserum, hoc tristi qui vitam ducere seculo  
Cogitur, in quo sunt omnia plena malis!  
Ergo ubi Guilhelmus Pater Oppersdorfius Orbem  
Liquerat, Angelici vox fuit ista chori:  
Fortunate senex nostram pete lætiūs Aulam:  
Hic tibi jam pridem parta suprema Quies.

## TUMVLVS EIUSDEM.

*G*VILHELMVS jacet hac humili Oppersdorfius  
Haud proavum antiqua nobilitate minor. (Vrná,  
Lustra

Lustra novē Domui Austriacæ, & tres insuper annos  
Pace sua est Virtus cognita, Marte manus.  
Principibus vixit carus, jucundus Amicis:  
Regibus acceptus, Cæsaribusq; fuit.  
Iam Virtus Regumq; favor spondebat honores  
Ingentes, tanto præmia digna Viro.  
Sed periturus honor meritis minor: Ergo abiit nunc,  
Est ubi Virtuti non periturus honor.

A. S. G. M. D.

*TVMVLVS EIUSDEM.*

CAEsaribus qui se quatuor, tam tempore belli,  
Quām pacis, totum dedidit, atq; Svōs:  
Hac Guilielmus humo jacet Oppersdorfius Heros,  
Lux Generis, populi Gloria, Cura Ducum.  
Erubuit decori esse favens cui Cæsaris Aula;  
Sed gavisa magis quem Dēcus esse suum.  
Mors cum Marte serit super hujus funere litem:  
Mors ait esse suum, Mars superesse cupit.  
Subrisit Virtus, posuitq; hæc marmore Verba:  
Vester erit nunquam, cui tumulum in video.  
Sal. Fren.


IVSTORVM ANIMAE IN MANV DEI SVNT.

P R A G A E,  
*Excudebat Georgius Nigrinus,*





TRANSLATION OF THE





Śląska Biblioteka Publiczna

222011	I
222013	Śl.

Min. Ośw. 507a — PZWS C850 X. 49

Biblioteka Śląska

222011  
222013

I

